

DISSERTATIO IV

DE ECCLESIA

Pars prior

DE ECCLESIA ANTE ADVENTUM CHRISTI

ARTICULUS I

Quomodo Ecclesia christiana existere potuerit ante adventum Christi?

[Prænotandum. Ecclesia est vox græca ἐκκλησία, latine evocatio. Hoc de etymologia nominis. Quantum autem ad ejus significationem, Ecclesia generalissime sumpta significat quemcumque cœtum, seu congregationem, sive civilem, ut *Psal.* cvi, 32 : *Exaltem eum in ecclesia plebis*; sive malam, ut *Psal.* xxv, 5 : *Odivi ecclesiam malignantium*; sive bonam, ut *Rom.*, xvi, 16 : *Salutant vos omnes ecclesie Christi*. Communi vero Scripturarum et SS. Patrum usu Ecclesia sumitur in bonam partem pro Ecclesia Christi, id est pro societate quæ Christo ut capiti adhæret.

Apud Judæos vocabulum *Synagoga* significabat quod apud nos significat Ecclesia, cum hoc discrimine, quod Ecclesia sit congregatio filiorum Dei par gratiam, Synagoga vero congregatio servorum per timorem.

Observandum est insuper quod, per metonymiam, sumendo continens pro contento, Ecclesia significet etiam locum in quo religionis causa conveniunt fideles, et eodem sensu locus in quo conveniebant Judæi dicebatur Synagoga.

Resp. Ecclesiam omni tempore existisse. Sic affirmat Augustinus, lib. I *Retract.*, cap. 13, num. 3 : « Res ipsa quæ nunc christiana religio nuncupatur, erat apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quousque ipse Christus veniret in carne, unde vera religio, quæ jam erat, cœpit appellari christiana. » Idemque docetur ab Epipha-

nio dicente, lib. I *adv. Hæres.*, cap. 3 : « Principium omnium rerum est sancta et catholica Ecclesia. »

Prob. Docente Apostolo, *Ephes.*, i, 9 et 10, *Deus notum fecit nobis sacramentum voluntatis suæ... instaurare omnia in Christo, quæ in cælis et quæ in terra sunt, in ipso.* Christus ergo, Filius Dei æternus, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis, *Rom.*, i, 3 et 4, est verus et unicus Salvator hominum, qui peccato protoparentis perierant. Unde idem Apostolus eum omnibus temporibus fuisse et futurum esse præsentem affirmat, dicens, *Hebr.*, xiii, 8 : *Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæcula.* Fuit heri per promissionem; est hodie in Ecclesia catholica quam fundavit et in qua permansurus est omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. *Matth.*, xxviii, 20; ipse erit in sæcula, nempe in cælo, ubi regnabit in sæcula sæculorum, *Apoc.*, xi, 15, cum redemptis, qui pariter cum eo regnabunt in sæcula sæculorum, *ibid.*, xxii, 5.

Christus apparet primum in promissione qua Adamo lapso et cum omni sua posteritate summis divinis beneficiis exspoliato Deus reparatorem pollicitus est, dum ait *Domnus Deus ad serpentem...* : *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius. Ipsum¹ conteret caput tuum.* *Gen.*, iii, 14 et 15. Manifesta est in hoc loco prædictio reparatoris nos a seductore ulciscens, si cum Patribus intelligamus iis verbis diabolum designari, qui Evam deceperat, eamque cum Adamo ejusque posteris in duplicis mortis pœnam conjecerat. Semen enim mulieris, id est Christus filius Mariæ, debet potentiam dæmonum conculcare, damna hominibus illata reparare, et humanum genus ad Deum reducere.

Ne vero hujus promissionis memoria e mentibus hominum excideret, Spiritu divino afflante, sæpius usque ad

1. In Vulgata nostra legitur *ipsa*; sed, ex textu hebraico et samaritano, in cunctis versionibus Vulgata antiquioribus legitur *ipsum*.

adventum Salvatoris renovata fuit per prophetas, quorum oracula in tractatu de *Incarnatione* expendemus.

Porro, post lapsum hominis, una est omnibus salutis via. Sicut ergo, sub novo Testamento, fides qua Christo salvatori incipimus adhærere est « humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis, » ut docet Trident. synodus, sess. vi, de *Justif.*, cap. 8; ita semper, etiam in primordiis mundi, ii tantum qui in reparatorem promissum et venturum crediderunt, potuerunt salvari. Quod apparet ex eo quod in libro *Genesis*, xv, 6, de Abraham dicitur, et a Paulo allegatur, *Rom.*, iv, 3: *Credidit Abram Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* Hujus autem fidei Abrahæ et ejus filiorum, sive secundum carnem, sive secundum spiritum, promissionem redemptoris fuisse objectum, testatur idem Apostolus, dicens, *ibid.*, 13, 16: *Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini ejus...; sed per justitiam fidei. Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum, sed et ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum.*

Quamvis omnibus Adæ posteris facta fuerit promissio, cum spiritus Dei non permaneret in homine in æternum, quia caro est, *Gen.*, vi, 3, etiam postquam genus humanum renovatum fuisset per diluvium, ideo Deus populum sibi eligere decrevit, qui titulo speciali hæres et custos hujus promissionis constitueretur, et ex quo Messias tempore præstituto oriretur. Igitur dixit ad Abraham, *ibid.*, xvii, 7: *Statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus et seminis tui post te.* Ex Abraham, per Isaac et Jacob, ortus est hic populus a cæteris gentibus segregatus, cui postea per Moysen mediatorem Deus legem suam dedit in monte Sinai, et in cujus medio instituit verum cultum, cujus ritus etiam in minimis voluit ipse præscribere, ut omnia congrue reparatorem præsignarent et annuntiarent. In cultu Mosaico apparent cuncta quæ ad religionem essentialiter pertinent, nempe sacerdotium, sacrificium, sacramenta et generatim quidquid Deo hono-

rem debitum exhibet et homini gratiam confert et salutem æternam procurat. *Hæc autem omnia*, teste Apostolo, *in figura contingebant illis*, *I Cor.*, x, 11. *Finis vero legis Christus, ad justitiam omni credenti*, ut idem docet, *Rom.*, x, 4. Christus ergo erat typus prænuntiatus et expectatus ut *salutare Dei*, *Gen.*, xlix, 18, in quo *benedicentur omnes gentes*, juxta promissionem ter a Deo Abrahamo juratam.

Ita Christus sibi præexistebat in populo Dei, qui jam inde Ecclesia vere christiana erat, cui per circumcisionem Abrahæ posteri adscribebantur, sicut Ecclesiæ christianæ typicæ per baptismum nunc incorporantur homines. Ecclesiæ corpus tunc ex semine Abrahæ seu populo Israelitico coalescebat. Quia vero Christus est redemptor universalis, poterant per eum salvari quotquot credebant in eum. Ita Job Idumæus, qui ad populum Dei genere suo non pertinebat, Spiritu sancto afflatus, fidem suam et spem ex fide natam his verbis professus est, *Job*, xix, 23-27: *Scio quod Redemptor meus vivit... et in carne mea videbo Deum meum: quem visurus sum ipse, et oculi mei conspiciuntur sunt, et non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Plures fuerunt alii, apud extraneos, qui eadem fide spiritualiter viventes, ad animam Ecclesiæ primitivæ pertinuerunt, sicut nunc ad Ecclesiam novam pertinere possunt qui, nondum per prædicationem Evangelii illuminati, gratiæ Redemptoris non rebelles, salutem æternam a Deo se consecuturos sperant, per media ab ipso statuta, et ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, *testimonium reddente illis conscientia ipsorum*, *Rom.*, ii, 15.

Ergo ante adventum Christi jam existebat per eum Ecclesia vere christiana, quæ ab Adamo ad Moysen essentialibus tantum elementis consistens, deinde ministerio Moysis divinitus amplificata, usque ad Christum permansit, qui venit eam non *solvere, sed adimplere*, *Matth.*, v, 17.]

ARTICULUS II

Ex quibus constabat religio primæva?

Resp. Religio primæva, quæ ab Adamo ad Moysen fuit observata, constabat his tribus, quæ omni religioni sunt essentialia, scilicet dogmatibus, præceptis moralibus et cultu divino,

1° Cum homo a principio æternæ vitæ hæres fuerit constitutus, clara visione Dei in cælo fruiturus, vita autem supernaturalis, quæ in terris initium sumit, a fide primum ortum habeat, etsi Deus, primum hominem condendo, ejus mentem ratione naturali, qua omnium creatorem in ejus operibus perspicere poterat, ornaverit, eum amice alloquens, seipsum modo superiori revelavit ut Deum unicum, perfectissimum, omnipotentem, rerumque omnium factorem et supremum moderatorem: ita ut, sicut nunc, Adam Deum lumine naturali rationis et fide supernaturali cognosceret. Præter cognitionem divinitus infusam omnium rerum quas homines naturaliter cognoscere possunt, Adam a Deo accepit per revelationem tantam supernaturalium cognitionem, quanta erat necessaria ad gubernationem vitæ in ordine ad finem supernaturalem, ut a D. Thoma probatur, 1^a p., q. 94, a. 3, o. Conscius igitur erat status perfectionis quem primum sortitus fuit. Noverat conditionem appositam a Deo, ut in hoc statu perseverare posset, et pœnam quam divini mandati transgressionem passurus erat. Post lapsum et omnium posterorum anticipatam ruinam, Adam a Deo accepit generis humani reparationis promissionem, seu fœderis reconciliationis per mediatoris merita ineundi, serpenti, id est diabolo, Domino dicente, *Gen.*, III, 15: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsum conteret caput tuum.* In quo innuitur, saltem implicite, mysterium incarnationis divinæ. Doctor Angelicus docet, 2^a 2^æ, q. 7, a. 1, o, hoc mysterium tunc fuisse explicite cognitum et creditum, quia « via hominibus veniendi ad

beatitudinem est mysterium incarnationis et passionis Christi. » Porro, si incarnationis fidem explicatam habuit Adam, consequenter Trinitatis eandem fidem habuit, cum incarnatio non possit explicite credi sine fide explicita Trinitatis¹. Notificari etiam debuerunt homini conditiones prædicti fœderis, nimirum fides in mediatorem, penitentia agenda, servandaque legibus divinis obedientia.

Hæc autem, licet non omnia explicite, sed quædam paulo obscurius proposita fuerint, cum divina providentia, propter altissimas rationes, ea in plenitudine temporum apertius revelanda servaret, fuere tamen ab initio et omni tempore summa doctrinæ super qua vera religio fundatur. Hæc dogmata, cum authoritas doctrinalis publica tunc non exstaret, per oralem traditionem transmittentur, et si fides divina, simulque dictamen rationis naturalis penitus abolita viderentur, cum *omnis caro corruperat viam suam per terram*, *Gen.*, VI, 12, deleto homine a facie terræ, *ibid.*, 7, per diluvium, Noe, qui *invenit gratiam coram Domino*, *ibid.*, 8, et ejus familia traditionem pristinam incorruptam sibi posterisque servaverunt. Deinde vero successive evoluta est mediatoris venturi promissio, potissimum his verbis quæ a Deo Abraham audivit, *ibid.*, XXVI, 4: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Et in hac promissione includebantur cunctæ veritates supra enuntiatæ.

2° Ad rationem naturalem pertinet lex moralis; nam, teste Apostolo, *Rom.*, II, 14 et 15, *gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt... Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Ex prædictis enim dogmatibus plurima sequuntur officia, tum erga Deum, tum erga proximum, tum erga nosmetipsos. Indubium est Deum ea officia protoparentibus nostris insuper positive revelasse. Ex his officiis fuit postea conflatus decalogus, si excipias tertium præceptum, quod in lege naturali non

1. Cfr. quæ de hac cognitione dicta sunt in tract. *de Deo creatore*, dissert. IV, *de Homine*, art. 7.

necessario includitur et ad legem ritualem est referendum. His additum est præceptum negativum de fructu arboris scientiæ boni et mali non comedendi, cujus observatione, sicut et cæterorum mandatorum, homo Deo honorem debitum redderet, suam erga creatorem dependentiam testificando. Quia primitiva lex divina, naturalis et positiva, in oblivionem per multiplices transgressiones venerat, ita ut homo *caro* fieret, *Gen.*, vi, 3, genus humanum, præter unam familiam, per diluvium fuit deletum, ita ut lex renovaretur et a patriarchis religiose observaretur.

3^o Deo, ut omnium conditori potentissimo et supremo domino, cultus debetur. Quia vero homo, sola ratione naturali ductus, quomodo et quibus actibus externis congruenter Dominus sit honorandus nesciret, Deus ipse ritus religiosos determinare debuit et indubie determinavit. Quinam autem fuerint hi ritus omnes saltem in statu justitiæ originalis, non adeo promptum est definire. Certum videtur Deum Adamo posito *in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum, Gen.*, ii, 15, præcepisse ut septimo die a labore, etsi non operoso, cessaret, ad imitandum creatorem, qui *requievit die septimo ab universo opere quod patrarat, ibid.*, 2, et ut pietatis officii hunc diem et seipsum plenius sanctificaret. Quæ lex peccato supervixit, et in monte Sinai fuit solemniter sancita. Inde est quod ubique gentium hebdomadarius dierum ordo servatur semperque viguit, et septimus sacer habetur, profecto quia Deus *benedixit diei septimo et sanctificavit illum, ibid.*, 3.

Cum sacrificium sit actus præcipuus et etiam essentialis omnis religionis, debuit Deo ab Adamo innocente offerri, eo modo qui congruebat primævæ conditioni, ad triplicem finem adorationis, impetrationis et gratiarum actionis. Porro sacrificium expiatorium tunc non erat necessarium, id est sacrificium eruentum, quo homo confitebatur, post peccatum, quod mortem et destructionem meruisset ipse, in pœnam rebellionis. Sufficenter ergo supremum Dei dominium agnoscebat et reverebatur Adam, Domino offerendo et consecrando fructus terræ, in

testimonium subjectionis et gratitudinis, sic ad authorem omnium dona ejus referendo.

Post lapsum Adami apparet expresse sacrificium, *Gen.*, iv, 3 et 4. *Factum est enim, post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui et de adipibus eorum.* Et quia non decebat singulos pro libitu suo et secundum æstimationem propriam Deo cultum externum exhibere, Enos, filius Seth, superno lumine ductus, *cæpit invocare nomen Domini, ibid.*, 26, id est, juxta communem interpretationem, primus fuit qui colendi numinis tempus, locum, cæremonias, munerumque ei offerendorum naturam determinaverit. Inter hos ritus, ante et post diluvium, cruenta sacrificia præcipuum locum tenent, ut exemplis Abel et Noe probatur. Porro hujusmodi sacrificia usurpata non fuerint sola duce natura; mors enim animalis irrationalis cum gratitudine pro beneficiis acceptis, vel cum peccati expiatione, nullam habet naturalem connexionem. Dicendum est ergo quod ab ipsius Dei instituto ista sacrificia duxerint originem. Quippe exterminatio homini propter peccatum debita in victimam transferebatur, quæ vicaria sorte peccatum expiabat, quia figuraliter prænuntiabat immolationem Christi, in quem credebant et sperabant qui tales hostias offerebant. Etsi enim, ut ait Apostolus, *Hebr.*, x, 4, *impossibile sit sanguine taurorum et hircorum auferri peccata.* id est propria hujus sanguinis virtute, homines tunc habebant fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi præfigurati, *ibid.*, 19. Et sic adimplebatur lex ab eodem proclamata, *ibid.*, ix, 22: *Omnia pene in sanguine secundum legem mundantur, et sine sanguinis effusione non fit remissio.* Hæc lex etiam apud infideles et idololatrias observabatur, illos ita illudente diabolo, ut persuasum haberunt se veram religionem profiteri.

Per plura sæcula nullus populus invenitur politice constitutus, autoritate paterna in singulis familiis homines regente. Ab initio igitur sacerdotium non fuit publicum, sed domesticum, ut demonstratur exemplo Noe, *Gen.*, viii, 20, Abraham, *ibid.*, xxii, 13, et Job, qui apud

Idumæos verum Deum colebat, *Job.*, 1, 5. Non tamen tunc munus sacrificatoris ita patri reservabatur, quod ab hostiis offerendis privati prohiberentur; nam Cain obtulit Domino de fructibus terræ, Abel vero de primogenitis gregis sui, *et respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus*, *Gen.*, iv, 3 et 4. Publicum non fit sacerdotium, nisi populo Dei jam ab aliis gentibus segregato. Tunc Aaron, etiam ante egressum Israelitarum ab Egypto, sacerdos a Deo ipso agnoscitur, *Exod.*, iv, 14, et filii ejus eadem dignitate investuntur, *ibid.*, xxviii, 43, xxiv, 9 et 10; *Levit.*, 1, 5; ita ut ex eo tempore sacerdotium Aaronicum dicatur.

Insuper sacramenta quædam tunc hominibus dari debuerunt. Etenim, ut ait Augustinus, lib. XIX *contra Faustum*, cap. 11, « in nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur: quorum sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, et ideo contempta sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas. » Ratio a S. Doctore prolata, *ibid.*, est quod « talium figurarum observatio, prænuntiatio Christi fuit. »

An debuerit, etiam ante peccatum, aliquod sacramentum dari? Affirmative respondendum esse censemus, quia conditioni hominis per fidem ambulantis super terram congruit, ut per signa sensibilia ducatur ad bona invisibilia et æterna. Nullum autem videtur exstitisse sacramentum in statu innocentie, præter *lignum vite in medio paradisi*, *Gen.*, ii, 9. Et hoc sufficiebat, tum ad conservandum corporis vigorem indeficientem, quod non poterat naturaliter efficere, tum ad significandam gratiam supernaturalem qua anima spiritualiter vivit, ut dicit S. Thomas, 1^a p., q. 102, a, 1, ad 4: « Lignum vite, inquit, est quædam materialis arbor, sic dicta, quia ejus fructus habebat virtutem conservandi vitam, ut dictum est q. 97, a, 4. Et tamen aliquid significabat spiritualiter; sicut et petra in deserto fuit aliquod materiale, et tamen significavit Christum. » Non improbabiler ergo, homine tunc in seio, sed Deo jam omnia disponente ad reparandam

ruinam hominis quam præviderat, præsignificabatur hoc ligno crux Christi, quæ est verum lignum vite in paradiso terrestri Ecclesie Christiane plantatum.

Quænam vero fuerint sacramenta post peccatum usitata? Respondet Augustinus, lib. V *contra Julianum*, cap. 11, num. 43, ubi iterum asserit sacramenta quædam fuisse necessaria: « Non credendum est, ante circumcisionem, famulos Dei, quando quidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis: quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura sacra latere voluerit. Nam et sacrificia eorum legimus, quibus utique sanguis ille figurabatur qui solus tollit peccata mundi. » Revera quidem sacrificia antiqua inter hujus ætatis sacramenta recensenda esse videntur, quæ nempe immolationem Christi in cruce adumbrabant et prænuntiabant, et fidem in mediatorem excitabant. Quibus addita fuit postea circumcisio, quæ a Deo data est *in signum fœderis* ab eo initi cum populo ex Abraham orituro, *Gen.*, xvii, 10 et 11, sicut nunc Ecclesie Christi nova membra adscribuntur per baptismum. Quæ sacramenta effectum spirituales producebant, non ex opere operato, ut sacramenta novæ legis, sed ex opere operantis, id est ratione dispositionum eorum qui his utebantur.

Hæc sunt præcipua lineamenta religionis primitivæ, quam lex mosaica ampliavit et lex christiana complevit.]

ARTICULUS III

Quomodo constituta fuit religio mosaica?

[*Resp.* Religio mosaica iisdem elementis essentialibus constabat, quibus religio primæva, his elementis non suppressis nec funditus immutatis, sed tantum amplificatis. Unde populus Israeliticus, a Deo ipso politice constitutus, fuit continuatio Ecclesie primævæ, et præparatio Ecclesie a Christo institutæ.

Quamvis autem Ecclesia mosaica iisdem elementis constaret quibus constabat Ecclesia primæva, magnum discrimen inter utramque notandum est quoad constitutionem externam. Primæva enim Ecclesia coalescebat ex cunctis hominibus qui, traditionem oralem servantes, reparatorem venturum, a Deo statim post generis humani ruinam promissum, expectabant, et verum Deum more majorum colebant. Erat igitur tunc Ecclesia inter diversas gentes dispersa, et solo religionis nexu colligata et adunata. Mosaica vero Ecclesia non tantum religiose, sed etiam politice divinitus fuit constituta, ita ut Israelitica gens, a cæteris nationibus discreta et omnino separata, vere populus Dei esset, in quo promissio divina servaretur, per quem hominum redemptio præpararetur, et ex quo, tempore præstituto, oriretur Salvator universalis, de quo Jacob moriturus vaticinans dixerat, *Gen.*, XLIX, 10, quod *ipse erit expectatio gentium*.

Hæc electio et segregatio a Deo ipso affirmatur. Dicit enim, *Exod.*, XIX, 5: *Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis; mea est enim omnis terra. Deuter.*, VII, 6: *Quia populus sanctus es Deo tuo, te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram. Ne hic populus aliis commisceatur et cum eis confundatur, jubente Domino, omnes gentes vicinæ ut hostes tractari debent, et prohibetur ne Israelitæ cum eis conubia ineant, *ibid.*, I, 3.*

Ut finem suum altissimum perfecte attingeret Deus, populo suo gubernium mere theocraticum dedit, eum etiam in civilibus per ministros ab ipso deputatos monarchice regens, ita ut sibi ipsi regalis autoritatis exercitium reservaret. Directe igitur elegit Dominus populi sui duces, Moysen, Josue, etc. Cum postea, populo regem postulante, Deus ejus precibus annuit, Samueli designavit quem ungeret, Saulem primum, deinde Davidem, ex cujus familia non auferetur sceptrum... donec veniat qui mittendus est, *Gen.*, XLIX, 10. Cum potestas legislativa sit attributum essentielle monarchicæ autoritatis, Deus ipse tem-

poralium rerum administrationem ordinavit, multiplicibus decretis in libris *Exodi*, *Levitei*, *Numerorum* et *Deuteronomii* consignatis, quorum observationem his verbis præscribentem, *Deuter.*, IV, 1 et 2: *Et nunc, Israel, audi præcepta et judicia quæ ego doceo te; ut faciens ea, vivas... Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis. Causæ graviores judicio divino remittebantur, et a Deo respondente dirimebantur, *Num.*, XXVII, 4. Rebus militaribus præerat, ut patet ex columna ignea exercitum in deserto dirigente, et multis præliis quæ non nisi Domino jubente fuerunt commissa. Quibus omnibus et multis aliis demonstratur Deum populi sui regimen, etiam in rebus ex natura sua profanis, sibi retinuisse, ut arceretur periculum ne quid a legislatore humano statueretur quod vocationi speciali hujus gentis repugnaret.*

Si Deo negotiis inferioribus per semetipsum ita providendum esse expedire visum est, multo magis res spirituales, quibus gloriam suam et generis humani salutem procurare decreverat, ordinare debuit. Porro, tria erant ad hunc duplicem finem obtinendum necessaria, ut in art. præced. dictum est, scilicet dogmata, præcepta moralia et cultus divinus. In his igitur positive intervenit divina autoritas.

1º Dogmata ab origine mundi revelata, nunquam fuerunt mutata, sed in dies, sicut nobis id conspicientibus his novissimis temporibus in Ecclesia catholica evenit, luce clariori illustrata. Ita factum est vigente lege mosaica. Promissio redemptoris venturi sæpe renovatur. Prophetæ a Deo suscitantur, qui, ejus Spiritu illuminati, Messiam repetitis oraculis annuntiant. Ille est qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium, *Gen.*, XLIX, 10. Ille est quem Dominus Moysi designavit, dicens, *Deuter.*, XVIII, 18: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Ille est cujus historiam contexuerunt David, Isaias, Jeremias, Zacharias, alique prophetæ, ita ut eorum scripta recte jureque fuerint Evangelium antici-*

patum nuncupata, et Philippus ad Nathanael potuerit dicere, *Joann.*, I, 45 : *Quem scripsit Moyses in lege, et prophetae, invenimus Jesum, filium Joseph, a Nazareth.* Ut de ejus adventu certissime constet, per Danielelem, cujus prophetia expenditur in tractatu de *Incarnatione*, præcise determinatur numerus annorum post quos *Christus* dux apparebit et occidetur, *Dan.*, IX, 24-27. Hanc præparationem propheticam commemorat Apostolus, dicens, *Hebr.*, I, 1 : *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum.*

Prænuntiabatur insuper *Christus*, sive per istos homines quos Deus suscitavit ad populum suum eripiendum a periculis sæpius imminentibus, quales fuerunt Moyses, Josue, Gedeon et alii, sive per res symbolicas quæ eum adumbrabant, inter quas præcipuum locum tenent sacrificia generatim, agnus paschalis et alia sacramenta. Et sic, ut dicit Apostolus, *I Cor.*, X, 11, *omnia in figura contingebant illis.*

Ad futuram incarnationem divinam, omnes veritates dogmaticæ in præced. art. enuntiatæ referebantur, vel ex ea procedebant.

2º Lex moralis homini primitus data nullam pariter, quoad essentialia, mutationem passa est, nec pati poterat. Quia vero necesse erat eam a populo electo perfectissime observari, eam solemniter et cum terrifico apparatu, in monte Sinai, per angelum suum Deus promulgavit, et duabus lapideis tabulis insculptam Moysi tradidit, addito, ut jam dictum est, præcepto de sabbati sanctificatione, *Exod.*, XX. Et quia Israelitæ jam *dura cervice* erant et *incircumcisis cordibus et auribus*, *Act.*, VII, 51, ideo Moyses iterum postea decalogum coram populo proclamavit, *Deuter.*, V. Cuncta quæ Deus insuper mandavit, sive ad regimen politicum instituendum, sive ad cultum publicum ordinandum, ad eandem legem accessorie pertinebant, quia ut Dominus supremus locutus est, cui debetur obsequium et adoratio, et præcepta ritualia non erant nisi regulæ practicæ quibus primi mandati observatio deter-

minabatur. Et his omnibus annuntiabatur *Christus*, de quo prophetice ait *Isaias*, XXIII, 22 : *Dominus judex noster, Dominus legifer noster : Dominus rex noster ipse salvabit nos ;* qui de seipso dixit, *Matth.*, V, 17 : *Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut prophetas : non veni solvere, sed adimplere.*

3º Quia populus Israeliticus jam politice constitutus fuerat, cultum publicum institui necesse erat ; quia honor Deo exhibendus est, non tantum ab homine privato, sed etiam a societate collective sumpta, præsertim cum gens aliqua fuit divinitus electa ad præparandam viam Messiaë venturo ut religionem perfectissimam inter homines stateret, qui ipse dicturus erat, *Joann.*, IV, 23 : *Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.*

Porro cultus publicus ordinari non poterat, nisi prius institueretur authentice publicum sacerdotium, cujus munera certis personis committerentur. Itaque, constitutis a Domino Moysi loquente, primum forma et dispositione tabernaculi, quod erat templum portatile, et omnibus quæ ad sacrificia et alias cæremonias sacras respiciebant, *Exod.* et *Levit.*, Aaron secundum ritum a Deo præscriptum in pontificem consecratur, et filii ejus in sacerdotes, *Levit.*, VIII. Hæc electio per miraculum virgæ Aaronis florentis et fructificantis confirmatur, quo signo tribus Levi cultui divino singulariter mancipatur, aliis exclusis, *Num.*, XVII et XVIII. Ubi observandum est quod, quamvis Moyses a Deo populo regendo præfectus fuerit, non ideo ei licebat sacerdotium assumere ; dicitur enim ei tantum, *Exod.*, XVIII, 19 et 20 : *Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum, ostendasque populo cæremonias et ritum colendi ;* Aaroni vero et ejus filiis, eorumque successoribus, præcipitur ut cunctas leges rituales a Domino datas observent *cultu ritumque perpetuo in generationibus suis*, *Levit.*, XXIV, 3. Quia vero sacerdotium hoc, sacrificia, ritusque omnes ita divinitus statuta erant figurativa et prænuntiabant eum qui *pontifex factus est in æternum*, *Hebr.*, VI, 20, et ejus immolatio-

nem, cultumque perfectum ab eo ordinatum in Ecclesia cum qua promisit se futurum esse usque ad consummationem sæculi, *Matth.*, xxviii, 20, per Daniele prædictum est ea omnia mansura esse usque ad Christum ducem, quo occiso, civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; . . . et deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio, *Dan.*, ix, 26-27.

Si unum saltem sacramentum datum fuit homini innocenti, non minus, imo magis conveniebat vel necesse erat sacramenta aliqua post peccatum institui. Expositis rationibus quæ necessitatem moralem sacramentorum demonstrant, 3^a p., q. 61, a. 1, o, Angelicus dicit, a. 3, o : « Sacramenta necessaria sunt ad humanam salutem, in quantum sunt quædam sensibilia signa invisibilium rerum quibus homo sanctificatur. Nullus autem sanctificari potest, post peccatum, nisi per Christum, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, ut sit ipse justus et sanctificans eum qui ex fide est Jesu Christi, *Rom.*, iii, 24-26. Et ideo oportebat ante Christi adventum esse quædam signa visibilia quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Salvatoris adventu; et hujusmodi signa dicuntur sacramenta. Et sic patet quod ante Christi adventum necesse fuit quædam sacramenta institui. »

Quænam vero fuerint hæc sacramenta? Primum locum tenet circumcisio quæ Abrahamo data est ut signum fœderis inter Deum et populum suum initi, *Gen.*, xvii, 12 et 13, sicut nunc baptismus est signum indelebile fœderis quo populus christianus per redemptorem Jesum Deo unitur. Cum alia sacramenta necessaria fuerint ad fidem in Christum venturum excitandam et conservandam, veniunt deinde sacrificia, quæ adumbrabant unicum sacrificium novæ legis, quo Christus semetipsum obtulit pro salute mundi in ara crucis, et immolatur incruente quotidie in sacrificio missæ. Idem prænuntiabatur mactatione agni paschalis, cujus esus insuper communionem eucharisticam præsignabat. Manna, quod comederunt filii Israel

quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem, cujusque, ex mandato Dei, una mensura dicta gomor, fuit custodita in futuras retro generationes, *Exod.*, xvi, 32-35, erat signum eucharistici sacramenti, ut Christus ipse testatus est, *Joann.*, vi, 49-52 : *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum : et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Plura alia inter sacramenta recenseri possent, et dicendum est omnia quæ tunc in honorem Dei peragebantur, et ipsam gentem Israeliticam, fuisse sacramenta eorum quæ nunc sunt, dicente Apostolo, *Galat.*, ii, 16 et 17, quod dies festi, aut neomenia, aut sabbatorum, erant umbra futurorum, sicut Ecclesia præsens est umbra Ecclesiæ in cælo triumphantis.

Sacramenta hæc antiqua sacramentorum ab ipso Christo institutorum erant umbra, non tantum quia, his advenientibus, evanescere debebant, sed quia, cum gratiam inhærentem non continerent, sanctificare homines non poterant nisi ex opere operantis. Unde ea vocat Paulus, *Galat.*, iv, 9, *infirma et egena elementa*, quibus denuo servire non licet. Et Augustinus dicit, lib. XIX *contra Faustum*, cap. 13 : « Prima sacramenta quæ observabantur et celebrabantur ex Lege, prænuntiativa erant Christi venturi : quæ cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt, et ideo ablata, quia impleta ; non enim venit solvere Legem, sed adimplere. Et alia sunt instituta, virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tamquam justitia fidei revelata, et in libertatem vocatis filiis Dei, jugo servitutis ablato, quod duro et carni dedito populo congruebat. »

Ad cultum publicum pariter reducuntur dies festi solemniter celebrandi, inter quos præcipui sunt Pascha, Pentecostes et festum Tabernaculorum, quibus eventus notissimi recolebantur, et mysteria novi Testamenti figurate nuntiabantur.

Summatim descriptis omnibus quibus gens Israelitica,

in populum Dei peculiarem electa, non tantum in spiritalibus, sed et in civilibus et politicis religiose constituta, quæque Christum redemptorem venturum personabant et annuntiabant, liquet hunc populum Ecclesiam vere christianam fuisse, qua via sternebatur Ecclesiae a Christo ipso institutæ et usque ad consummationem sæculi duraturæ.]

ARTICULUS IV

Utrum divina fuerit religio mosaica?

[*Resp. affirmative.*

Prob. 1^o ex his quæ in præcedentibus articulis dicta sunt, quibus demonstratur: 1^o religionem hanc a Deo ipso directe constitutam fuisse; 2^o omnia fuisse ordinata ad præparandum adventum redemptoris humano generi post lapsum promissi; 3^o populum Israeliticum Ecclesiam anticipate christianam vere fuisse.

Prob. 2^o miraculis, tum in ordine physico, tum in ordine intellectuali.

1^o Miracula ordinis physici fuerunt patrata primum ad statuendum religionem mosaicam, deinde ad eam confirmandam. 1^o Plura et præclarissima miracula facta sunt, quibus Moysis divina missio fuit evidentissime demonstrata. Ex his recensere sufficiat decem plagas Ægyptiacas, transitum Maris Rubri, manna e cælo descendens, quo Israelitæ per quadraginta annos in deserto fuerunt nutriti, interitum Core, Dathan et Abiron, quos jubente Moysè, terra absorbit, in pœnam rebellionis, etc. Moyses ipse, antequam hi rebelles *descenderent vivi in infernum*, populo dixit, *Num.*, xvi, 28 et 29: *In hoc scietis quod Dominus miserit me ut facerem universa quæ cernitis, et non ea proprio ex corde protulerim. Si consueta hominum morte interierint, et visitaverit eos plaga qua et cæteri visitari solent, non misit me Dominus.* Pari jure cætera miracula quæ ipse fecit in gratiam missionis suæ invocare potuisset. 2^o Inn-

mera sunt miracula quæ postea fecerunt Josue, Judices et prophetæ, præsertim Elias et Elisæus. Porro his omnibus mosaica religio fuit confirmata, siquidem non ad alium finem fuerunt peracta. Atqui hæc miracula sunt facta historice certa et evidenter divina, utpote leges et vires naturæ excedentia. Ergo religio cui patrocinantur est divina.

2^o Miracula ordinis intellectualis sunt prophetiæ. Et quidem historia populi Dei longe ante eventus singulos fuit prophetice præfixa. 1^o Ante Moysen, Deus Abrahamo, jam ætate provento, promittit, *Gen.*, xv, xvi et xvii, quod ejus semen seu posteritas non numerabitur præ multitudine. Populus ex eo ortus peregrinus erit in terra non sua, id est in Ægypto, ubi subicietur servituti et affligetur quadringentis annis, post quos egredietur cum magna substantia. Ex eo reges egredientur, dabiturque ei terra peregrinationis, omnisque terra Chanaan, in possessionem. Jacob moriens hoc præclarissimum vaticinium, eventu quem naturaliter præagire non poterat comprobatum, edicit, *Gen.*, xlix, 10: *Non auferetur sceptrum de Juda, et duæ de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.* 2^o Moyses ipse Israelitis nuntiat, *Num.*, xiv, 29 et 30, omnes qui numerati sunt a viginti annis et supra, et murmuraverunt contra Dominum, terram promissam non ingressuros, præter Caleb et Josue. Quod factum est, ut narratur *ibid.*, xxvi, 65; *Deuter.*, i, 35 seqq.; *Josue.* xiv, 6 seqq. Phinees ejusque filii perpetuum sacerdotium promittit, *Num.*, xxiv, 13, hujusque promissionis adimpletio notatur *Psal.* cv, 13; *Eclli.*, xlv, 30; *I Machab.*, ii, 54. Plures aliæ prædictiones citari possent. 3^o Sunt quasi innumeræ prophetiæ post Moysen editæ. Prænuntiantur: ab Ahia, divisio regni Salomonis; ab Osee et Amos, vastatio et destructio Israelitici regni post quadraginta annos. Magis stupendæ sunt prophetiæ quæ ad captivitatem babylonicam spectant, in quibus et tempus et duratio hujus captivitatis determinantur, et Cyrus nominatim ut liberator populi designatur. Isaias, Jeremias et Daniel Babylonis eversionem, Jerusalem reædificatio-

nem et imperiorum fata ita clare describunt, ut res præteritas narrare, potius quam futuras annuntiare videantur: unde Porphyrius non dubitaverit asserere, has prophetias, aut saltem ex illis plures, post eventum fuisse confectas. Atqui hæc omnes prophetiæ, in gratiam religionis mosaicæ directe vel indirecte editæ, evidenter sunt divinæ. Ergo.

Supponitur necessario libros in quibus miracula prædicta narrantur et prophetiæ supra enuntiatae leguntur, esse authenticos et integros, et divinitus fuisse inspiratos. Hæc autem demonstrantur a scriptoribus qui hermeneuticæ sacræ incumbunt.

Divinitas religionis mosaicæ probari potest insuper ex natura constitutionis tum politicæ tum religiosæ populi, et ex præcellentia doctrinæ quam gens ista profitebatur, quæ nonnisi a Deo venire possunt. Sed hæc sufficienter supra fuerunt exposita.]

ARTICULUS V

Utrum lex seu religio mosaica fuerit abroganda?

[Judæi recentiores contendunt, non tantum Messiam promissum nondum advenisse, sed etiam legem mosaicam ita ex omni parte absolutam esse, ut sit essentialiter immutabilis, nec ab ipso Messia, cum in terris apparebit, sit abroganda. Unde inferunt Christum non esse verum Messiam quem populus Dei expectabat, eo quod legem antiquam abolere præsumpserit.

Quatuor in religione mosaica sunt distinguenda: moralia, dogmatica, judicialia et cæremonialia. Præcepta moralia, quæ ad legem naturalem pertinent, intrinsece sunt immutabilia. In hoc sensu tantum abrogari poterant, quod, veteri lege cessante, jam non obligarent tamquam pars hujus legis, sed vi legis naturalis, quæ cunctis temporibus et conditionibus hominum aptatur. Dogmata quibus existentia et natura Dei exprimuntur, mutationem

pariter non patiuntur. In hoc tantum hæc pars evanescere poterat, quod quæ in figura contingebant, ut loquitur Apostolus, I Cor., x, 11, in quantum reparatorem venturum prænuntiabant, illius adventu irrita facta fuerint. Judicialia et omnia quibus populus Dei politice fuit constitutus, vigere non valebant nisi durante Ecclesia figurativa, quæ locum cedere debebat Ecclesiæ a salvatore instituendæ et usque ad consummationem sæculi permanenturæ. Cæremonialia, quæ figuraliter redemptionem adumbrabant, non tantum vana essent, redemptione peracta, sed falsa, ut promittentia tamquam futurum quod est jam factum. His prænotatis,

Dico: Religio seu lex mosaica erat abroganda. Et hoc ex ipsa lege veteri probatur.

Prob. 1^o ex prophetiis quæ novum mediatorem seu legislatorem, novumque fœdus promittunt: 1^o Novus legislator ab ipso Moyse annuntiatur, cum dicit, Deuter., xviii, 15-18: Prophetam de gente tua et de patribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies... Et ait Dominus mihi: ... Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor existam. Moyse vita funeto, dicitur, ibid., xxxiv, 10: Et non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses. Non ergo apparebit propheta hoc loco designatus, lege mosaica vigente. Erit similis Moysis, non quidem quantum ad dignitatem, nam Moyses erat tantum hujus prophetæ figura, sed quantum ad officium legislatoris; quod innuitur verbis supra relatis: Ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Expressius ut talis postea describitur, Is., XLII, 1-4: Ecce servus meus, suscipiam eum... Dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet... In veritate educet judicium, ... et legem ejus insulæ expectabunt. — 2^o Mediante legislatore venturo, novum fœdus cum novo populo Deus inibit, lege veteri evanescente, quia ejus finis implebitur, Jerem. xxxi, 31-33: Ecce dies veniunt, dicit Dominus; et feriam domui Israel et